

ram eripiunt: Ut enim maturefcit Judicium, fic ad maturitatem cum annis pergīt ſcribendi facultas. Nec ad aliquam gloriam perveniet, qui uſum ſtyli magiſtrum, etiam in Studiis ſublimioribus neglexerit.

XXIX. Hæc de Verborum ornatu. Pergimus ad ipſam Fabulam, quæ nemo quid finxit elegantius. Si enim plenam hujus rei laudem abſolvit Inventio, Diſpoſitio, Elocutio, nullibi non eſt commendanda.

XXV. Inventio certe nobiliſſimum requiſitum ſemper obſervat, ut proferantur quidem admiranda, Verofiſſimilia tamen, quæ non opus habent DEO ex machina h. e. incantatione aut alio portento, ſi progredi velit ad Cataſtrophen.

XXVI. Unicum forte ludibrium è libro primo notabunt Curioſuli, quod Poliarcho larvas cum aſcitiſſima coma tribuit, quibus & ſenem & juvenem mentiri poſſet: nam pauci credent, in Aula, in publico templo falſum hoc integumentum oculos nimium ſuſpicaces ſefelliſſe. Sed in hoc tamen ſequitur conſuetudinem veteris ſ. Comœdiæ ſ. Tragoediæ, quæ Perſonis h. e. larvis vultum cujuſlibet ad quamvis conditionem, ætatem & fortunam efformabat. Quia & præſupponit ſæculi aliquam ſimplicitatem, quæ capillitiis alienis, præſertim apud Viros non adſueverat.

XXVII. Altera Inventionis gloria eſt, quod nihil fingit, quod movendis Affectibus non ſit aptiſſimum. Neque ſaltem quieſcit in nugis amatoriis, quod Romanarum, ut loquimur, Compilatores habent maxime proprium; Sed jam timere, jam invidere, jam de Vindicta malorum lætari jubet. Hic eluceſcit Matris æffectus, Reginae infelicitas, Tyranni ſævitia, Miniſtri perfidia, ut nova ſemper occurrant, quæ novum animi motum ſolent injungere.

XXVIII. Idque tanto fluit amœnitas, quod narratio h. e. univerſa fabulæ Diſpoſitio interruptas quaſi vices obſervat, & quæ primo debuerant dici, inſperſis paſſim Narrationibus ita proferuntur, ut ſuſpenſus Lectoris animus ſemper indignetur à prioribus ſe divelli, ſemper gaudeat progredi ad pulchriora: quod quia non obſervat Bugnotius, hoc ipſo dimidium laudis videtur prodegiſſe.

XXIX. Et hæc quidem pulchritudo nos nuper affligebat, cum in ſcenam vocanda eſſet Argenis. Cum enim talis Actio ſeriem rerum geſtarum, ut ita loquar, naturalem & ordinariam juberetur obſervare, dici non poteſt, quantum ab elegantia Argumenti decederet, ut omiſſis fa-
bu-